

Et post aduentum baydu non fuerunt preteriti duo dies/ quod casan cum suis gentibus illuc uenerunt. Et in eadem die inceperunt prelium pessimum & crudele.

set nil ualuit quod baydu contra casan resistere potuisset. quia postquam belum fuit inceptum multi ex hijs qui erant cum baydu uenerunt ad casan./ & belauerunt cum baydu & ob istam causam baydu debelatus fuit. & mortuus. Et casan bellum obtinuit. & fuit dominus omnium & magister. quia postquam belum obtinuit.

& mortuus fuit baydu reuersus fuit ad curiam & sumpsit dominium : & omnes barones ei fecerunt omagium. & ei tamquam domino obediebant In hunc uero modum se habuit totum istud negotium ab Abaga usque ad casan quemadmodum

audiuistis. Et noueritis quod ulan qui conquisiuit baldach & fuit frater cublay

122r^o magni dominij| fuit capud omnium istorum quos superius nominauimus nam genuit Abaga abaga genuit argonem & argon genuit casan qui nunc regnat postquam diximus de istis tartaris de leuante dimitemus ergo de ipsis. & tractabimus etiam de magna Turchya prout aperte poteritis audire. set uerum est quod nos diximus de magna Turchya totum esse supra in libro qualiter rex caydu est dominus ipsius. & ideo nichil habemus ad dicendum de ipsa & ideo discedentes ab ipsa dicemus de prouincijs & gentibus que sunt in tramontana/ hic naratur de rege canci qui est in tramontana//—

IN tramontana quidem est quidam rex nomine canci qui est tartarus & omnes eius gentes tartare sunt & manutenet rectam legem tartarorum que multum bestialis est. set ipsam obseruat sicut cinghyscan & alij ueri tartarj de quibus aliquid uobis narabimus. faciunt enim que[m]dam eorum deum de feltro qui nacigay nuncupatur. & ei faciunt uxorem & isti duo dei uidelicet nacigay & eius uxor dicuntur esse dei terenorum. & dicunt quod custodiunt eorum bestias segetes & bona terena Ipsi adorant eos. & quando comedunt aliqua uictualia/ vngunt os sui dei & ducunt uitam bestiarum. Iste rex nulli subditus est. uerum

122v^o est quod ipse est de progenie| cinghyscan. & est consanguineus proximus magni dominij. Iste rex non habet ciuitates uel castra set permanet semper in magnis planis & uallibus. & montibus. Ipsius gentes viuunt de lacte & bestijs & non habent segetem aliquam. ipse habet magnam gentem/ set non facit prelium uel gueram cum aliquo. set suam gentem in magna pace retinet & habet quantitatem maximam bestiarum uidelicet bouum/ camelorum/ equorum & arietum/ & multarum bestiarum. habent etiam vrsos ualde magnos qui sunt albi. & sunt longi pluri viginti palmis. habent uulpes totas nigras & magnas & asinos siluestres/ et cibellinos multos de quibus fiunt care pelles quas superius diximus esse tam magni ualoris. habent insuper multos uaros & mures de pharaone in magna moltitudine & de ipsis uiuunt tota estate quia sunt ualde magni. de omnibus siluestribus habent habundantiam. quia permanent in locis deuijs & siluestribus. habet etiam iste rex

nota hic de lege tartarorum habent deum de feltro & uxorem eius & adorant eos